

( o )

---

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

**DN. JOHANNI GEORGIO,**  
Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, Bergae, Sacri Ro-  
mani Imperii Archi - Marschallo & Electori, Landgravio  
Thuringiae, Marchioni Misniae, superioris ac inferioris Lusa-  
tiae, Burggravio Magdeburgico, &c. Comiti de Marcâ  
& Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein,  
&c.

**DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.**



Nnus jam agitur quartus, SERENISSIME PRINCEPS, Domine Clementissime, cum VESTRA SERENITAS ad consilia aulica mihi accersito in ipso splendidissimi hujus muneris limine ex singulari clementia veniam ad pristinos Lares redeundi concessit, ac insimul officium Ordinariatûs cum annexis expeditionibus Athenæo demandavit: ex quo subinde mecum deliberare cœpi, quam veneratione beneficium hoc insigne demereri, & quod debitum efflagitabat, devotio jubebat, grato eam splendore irradiare quirem. Cum verò juris canonici professionem fidei meæ concreditam percepissem, animum illicò subiit lubido spartam hanc ea fide ac industria exornare, ut multum inde commodi in Rempublicam literariam redundaret, plurimumque laudis ad VESTR. SERENIT. rediret, atque hinc de promptitudine mea & devotione submissa constaret. Nimirum licet Canonum pontificiorum autoritas nobis haut sit extimescenda, ac juri canonico (iis, quæ ad judicarium processum spectant, exceptis) parùm autoritatis attribuendum; nec enim, quæ in causis spiritualibus & conscientiam concernentibus Romanenses ex inveterato errore evomunt, nobis de pura fide & orthodoxa Religione edoctis frenum injicere queunt, si non sordide penitus ac impie fidem & libertatem Christianam jugo immundicie pontificiæ subjici patiamur, veluti B. Luth. spurcitiem juris canonici haut dissimulavit: Das Geistliche oder Pâbstliche Recht, *inquiens*, ist, wie alle Juristen sagen, ein Buch voller Unflaths, das nach Geld stincket.